

DUBIUM 2.

An ieiunia quatuor anni temporum, attenta voce illa *praeter*, ultra tria ieiunia pro Iubileo expresse praescripta, habenda sint uti opus iniunctum ad Indulgentiam acquirendam ?

R. Negative.

DUBIUM 3.

An iis, qui aut voto, aut praecepto, uti sunt Franciscanae, aut quocunque alio titulo tenentur toto anni tempore ieiunare aliquo die ex diebus praescriptis pro Iubileo, suffragetur tale ieiunium ad lucranda Indulgentia ?

R. Affirmative.

DUBIUM 4.

Cum Religiosi S. Francisci teneantur ieiunare a secundo die Novembris usque ad nativitatem Domini ; quaeritur, utrum hoc decurrenente tempore, ipsi possint unico ieiunio tribus praescriptis diebus facto, satisfacere duplici obligationi tunc praecepti, tunc Iubilaei ?

R. Permittitur ex speciali Sanctitatis Suae indulto, dummodo esurialibus tantum cibis pro dictis tribus Iubilaei ieiuniis utantur, quamvis fortasse ab usu ciborum esurialium dispensationem pro dicta Quadragesima obtinuerint.

DUBIUM 5.

An idem dicendum sit pro Quadragesima Ecclesiae etiam quoad Christi-fideles ?

R. Permittitur ex speciali Sanctitatis Suae indulto, ut in responsione ad quartum dubium, et cum eadem conditione in ea apposita.

DUBIUM 6.

Utrum ieiunium pro Iubileo praescriptum debeat esse ieiunium striete sumptum etiam quoad qualitatem ciborum, sicuti ea quae ex Ecclesiae praecepto adimplenda sunt, quin tamen quis uti possit indultis, si quae pro ieiuniis Ecclesiae obtenta fuerint ?